



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Christianvs Conf. 4. Februarii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

Sed sequitur & nocentem conscientia flagellat; quin honori jam suo restitutum acrius etiam torquet. Quid faceret? quò fugeret impius transfuga? ad magnæ Matris ubera, per quæ Filium fauciârat? ad vulnera Filii, per quæ Matrem impetierat? & tamen ad Matrem ausus est confugere; memor semper Matrem facilius flecti, quàm judicem. Itaque ad Marianæ ædis limina quadraginta ipsos dies noctesque perstare, sed longè magis ipsam cæli portam Virginem ambire: hanc lacrimis molliere, hanc gemitibus pulsare, hanc jejuniis denique frangere. Cedit itaque vim facienti facilis aliàs janua. Admittitur per Matrè ad Filii gratiâ THEOPHILVS, extortosq; infames hosti codicillos aufert. Hos ubi palàm igni dedit, post triduanam febriculam per notam sibi, & jam apertam portam cælum ingreditur. Agnoscite felicitatè vestrâ in THEOPHILO Mariophili. Sit omnibus aliis angusta cæli porta, certè vos laxam amplamque haberis. *Ex Surio.*

S. CHRISTIANVS CONF.

4. Februarii.

NVlli minùs sapiunt, quàm qui maximè, cum intereà Superi iis ferè colludant, qui sanctam simplicitatem præ se ferunt. Ad testem CHRISTIANVM provoco. Is cum adolescens noctu

noctu non sat modestè tectus ædes perambularet, insultantem nudo tergo sub mulieris larvâ orcum tulit, onusq; improbum totam noctem circumtulit. Sacris initiatus Comitis natū sub exuviis urfi terrorem sibi injicientem cultro tantū non jugulavit, mox errore intellecto persanavit. Ad ejus preces cū defunctus è feretro resurgeret, inter fugientium ab eo spectaculo rurbam ipsum quoque vidisses. Fluvium cū trajicere non posset, in alteram ripam D. Magdalena unā cum equo transportavit. Eadem facienti adfuit, hominumq; absentiam satis unica pensavit. Iam inter monachos mori sibi visus, & manibus *MARIÆ* ac *Friderici Cæs.* tumulari, flammam habuit arbitrari piaculares, Genios item bonos malosque, hos corvi exuviis horridos, illos cygneis (aut quascunque alias demū miramur & amamus) pennis superbos. Porrò sacrificaturo mensam & vestes Cælitres ministrarunt. Cantātibus benedicere vidit ab alto *DEI* manum. Iam ad ægrum septē continuos dies *Christus* *Christique Mater* (utique optimi medici) inviserunt. Cū morituro verò horas precarias iidē visi percurrere, & quidem cucullum etiam ipsi induti. Superi! vos comoedias & risum nobis datis mortalibus. Nos scilicet tragœdias & lacrimas reddimus, *Ex Caesar. l. 7. c. 16.*

S.AGA-